

1497 turna pax fieret. Quibus profectis Antonius, eloquentia plane singulari, & præstanti vir ingenio, in itinere adversa valetudine interceptus, Genuæ interiit. Ejus morte audita Senatusconsultum factum est: Cum Antonius Boldutus Andreæ filius ex equestri ordine nullum laborem pro republica refugiens, legatione ad reges Hispaniæ suscepta in itinere mortem obierit, Senatui placere, ut Gabrieli Bolduo ejus filio primo quoque tempore in fano Patavino sacerdotium attribuatur, quo se fratresque suos alere commodius atque honestius possit. idque paulo post sacerdotium ab Alexandro Senatu petente Gabrieli est attributum. Miserant illi quidem reges superioribus mensibus ad Senatum per Franciscum Capellum legatum, qui ex Hispania domum redierat, Fortunatarum insularum unius regem dono mediussidius non sfernendo: quando ea porro elementi ora solidi, quæ in oceano Atlantico est circiter decies centena millia passus a continentí meridiem versus; multis ante Patres nostros sœculis ignorata, eorum indagatione ac diligentia, tota tum demum reperta, & colonis magistratibusque missis in potestatem redacta, orbi terrarum adjungitur. Eum regem publice Patavio enutrirí Senatus jussit. Eodem fere tempore Patres certiores facti Franciscum imperatorem stipendio reipublicæ non confecto cum rege Carolo agere, ut se in suam militiam recipiat, illum ad urbem accersitum, ubi morbo, ne venire posset, impediri se respondit, Decemvirum decreto missum fecerunt. Is auri libras ducentas stipendiiorum nomine ante tempus acceptorum reipublicæ debebat: falsis autem crediti, nequedum soluti, centum. Accidit tamen, ut eo ipso missionis die infrequenti comitatu Franciscus Venetias appelleret, dictans se a Ludovico ejusque genero Galeatio in fraudem ob invidiam conjectum, qui literas eb eo conscriptas finxissent, ad Patresque misissent, quas ipse nunquam scripferit. ejus rei satis magnum argumentum esse, quod ipse in eorum potestatem venerit. quod si alia etiam pignora Patres postulent, arces se sui regni, suosque libe-

ros

Franciscus
Gonzaga
Venetis sus-
cepimus, im-
perio copia-
rum exiuitur.